Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26123
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Quomodo autem sit intelligendum sinite usq; huc iam exposui. & si aliter melius potest ita sit. dum tamen euangelistarum ueritas constet. Postea sequitur matheus. & comemorat eum in illa hora dixisse turbis. Tamquam ad latronem existis cum gladius & fustibus comprehendere me. Cotidie apud uos sedebam in templo docens. & non me tenuistis. tunc addidit etiam uerba quae lucas ponit. Sed haec est hora uestra. & potestas tenebrarum. Hoc autem totum factum est sicut mathaeus dicit. ut impletentur scripturae prophetarum. Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt. sic & marcus dicit. Sequebatur autem illum iuuenis adolescens amictus syndone sicut idem marcus comemorat. Et cum tenuissent eum. reiecto syndone. nudus profugit abeis.

At illi tenentes ihesum. duxerunt eum ad caiphan principem sacerdotum. ubi scribae & pharisei conuenerunt. sicut matheus dicit. si primo ad annam ductus est socerum caiphae sicut iohes dicit. marcus autem & lucas nomen non dicit pontificis.

Ductus est autem ligatus. cum adeent in illa turba tribunus & cohors & ministri iudeorum. sicut iohannes commemorat.

Petrus autem sequebatur eum alongue. usq; in atrium principis sacerdotum. & ingressus intro sedebat cum ministris. ut uidet finem. sicut dicit matheus. & calefaciebat se ad ignem. sicut meo loco narrationis dicit. marcus. hoc & lucas comemorat quod petrus sequebatur alongue. Accenso autem igne in medio atrio. & circumsedentibus illis. erat petrus in medio eorum. Et iohes dicit. quod sequebatur simon petrus. & alius discipulus. Discipulus autem ille alius erat notus pontifici. & introiuit cum ihesu in atrium pontificis. sicut matheus dicit.

Petrus autem stabat ad ostium foras secum eundem iohem. exiuit & discipulus alius qui erat notus pontifici. & dixit